

110. Verior intel-
ligentia.
Chryso-
stomus.
Leon.
Cyrill.
Theophyl.
Maldon.
Barrad.
Burgens.
Cornel.
Rom. 10.
Ioan. 6.
Ioan. 17.
Rom. 11.
Galat. 3.

Septimò, & plenissimè intelliguntur omnes homines huius mundi, non solum Iudæi, sed etiam Gentiles, vt docent D. Chrysofomus, Leon. N. D. Cyrillus, Theophylact. & communiter recentiores. Maldonatus, Barradas, Lucas Burgens. Cornelius, & alij, vt dixi in Expositione. Omnibus enim mandauit prædicare suum Euangelium. *Prædicare Euangelium omni creature.* Marc. 16. Pro omnibus enim mortuus est, pro omnibusque sufficienter satisfacit, eosque à iugo dæmonis liberauit, si verò non omnes saluantur ex eo est, quia non omnes obediunt Euangelio. Roman. 10. n. 16. Illud autem. *Omnia, id est, omnes, vt habent Codices Græci, Syriacus, D. Chrysof. Ammonius, & alij; deinde, omnis, phrasis est Scripturæ idem significans, ac omnes.* Ioann. 6. n. 37. *Omne quod dicit michi pater ad me veniet.* Ioan. 17. num. 2. *Vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Rom. 11. num. 32. *Conclusit Deus omnia in incredulitate.* Ad Galat. 3. num. 22. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato.* In quibus locis omne, seu omnia, id est omnes. Et hic sensus maximè cohæret dictis de grano frumenti, ac conuersione gentium, & immediatè antea dixerat Dominus. *Nunc iudicium est mundi.* Vbi per mundum homines intelligit, qui liberandi erant à iugo dæmonis, qui eiciendus erat foras, vt ibi explicari, inde consequutus erat, vt ad se omnes traheret.

111. Habac. 3.
Chaldaus.
A cruce om-
nis splendor,
& fulgor.

In cruce positus Dominus Iesus tanquam verus Sol valde conspicuus omnibus gentibus apparuit, cuius radiis omnium corda illuminata, ac inflammata sunt. Ait Habacuc. 3. n. 4. *Splendor eius, vt lux erit, cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* Chaldaus transfert. *Splendor gloria eius, sicut splendor primogenitus apparuit, & scintilla à quadriga gloria eius prodierunt, ibi patefecit maiestatem suam.* Ibi nempe in cruce, splendor eius vt primogenitus, primo exoriens irradiavit, tanta enim lux eius in cruce refulsit, vt illius splendor videretur veluti primogenitus, ac primo exoriens super vniuersa cætera opera, & scintilla à quadriga gloria eius prodierunt. Et scintilla à quadriga gloria eius, seu ab efficacia, ac vi potentia, & amoris eius prodierunt, vt omnia corda inflamarent. *Ibi patefecit maiestatem suam.* Ibi in cruce nempe excellens eius maiestas innotuit, ac declarata est. D. Hieronymus: *Splendor eius, ait, quasi sol iustitia clara luce radiavit, & cornua in manibus eius vexilla, trophæa crucis.* Ac si diceret ex crucis trophæo, sol iustitiae valde conspicuus illuxit. *Et cornua in manibus eius vexilla, trophæa crucis.*

112. Ioan. 14.
Matth. 10.
Excellentis-
sima opera
per crucem.

Vis scire quam efficax, ac præpotens sit hoc diuinum vexillum crucis? perpende. In vltima cœna ait Christus suis discipulis. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.* Ioan. 14. num. 12. Amplam potestatem faciendi miracula, dedit Christus Dominus suis discipulis, quando eos ad prædicandum Euangelium mandauit. *Infirmos curate, mortuos suscitare, leprosos mundate, demones eijcite.* Matth. 10. n. 8. Cur ergo ipso Domino præsentem non datur eis facultas, vt maiora opera faciant, quam ipse facit? sed hæc ordinat fieri post eius absentiam. Et rationem assignat: *Quia ego ad Patrem vado.* Per crucem nempe, vt est communis intelligentia Patrum, quam & suis relinq̄tebat. In tantum voluit Christus Dominus suam crucem sublimare, & exaltare, sicque eius

virtutem, ac gloriam cunctis manifestare, vt ordinauerit, quod ipsa sacratissima cruce discipuli eius maiora signa, ac miracula facerent, quam ipso in hoc sæculo naturaliter præsentem illi faciebant, ac edebant. D. Chrysofomus de Adoratione Crucis. *Arripite, ait, crucis arma, & perfcite talia: his etiam maiora pollicitus est his verbis. Opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora, quia ad Patrem vado.*

Chrysof.

Ioan. 12. n. 34. Respondit ei turba: nos audiuius ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Qui est iste filius hominis?

Num. 35. Dixit autem eis Iesus: Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate, dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: Et qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.

Num. 36. Dum lucem habetis, create in lucem, vt filij lucis sitis. Hæc locutus est Iesus: & abiit, & abscondit se ab eis.

VERSIONES.

Syriac. n. 34. Nos audiuius ex lege, Meschicho in æternum permanurum: quomodo dicis fore, vt tollatur filius hominis?

Marin. Victor. Quod oportet altificare filium hominis.

Syriac. n. 35. Modicum ad tempus lux vobiscum est: ambulate dum lucem habetis: ne tenebræ vos deprehendant.

Arabicus. Tempore modico lumen vobiscum est, ambulate ergo in lumine, dum perdurat vobis lumen: qui ambulat in tenebris non comprehendit, quò veratur.

Vatablus. Adhuc breui tempore lumen vobiscum est.

S. Epiphani. Ambulate, dum diem habetis, ne vos dies illa in tenebris occupet.

Mar. Vict. n. 36. Quoadiu perdurat vobis lumen, credite in lumen, vt filij luminis efficiamini.

Arias. Vt filij lucis fiat. Syriacus.

Syriacus. Hæc locutus est Iesus, & occultauit se ab eis.
Vatablus. Et digressus abscondit se ab eis

EXPOSITIO VI.

113.

RESPONDIT ei turba. Quidam ex astantibus omnium nomine. Nos audiuius ex lege. Intellexerunt Iudæi, quod Christus de morte sua in cruce loqueretur, quam per exaltationem à terra significabat. Et valde mirum; nam cum manifestè de sua morte ageret cum suis discipulis. *Ipsi nihil horum intellexerunt, vt scribit Lucas. cap. 18.* Et cum de ea hic obscure tractaret. *Si exaltatus fuero.* Iudæi intelligunt, quod dubium expendi supra cap. 37. q. 4. Nam, vt ait D. Augustinus tract. 52. *Intellexerunt Iudæi eum hoc dixisse quod ipsi facere cogitabant, nec verborum obscuritatem eis aperuit insuasa sapientia, sed stimolata conscientia.* Et dicunt: *Nos audiuius ex lege.* Lex dicitur testamentum vetus, in quo multis in locis testatur Christum in æternum mansurum. Psal. 71. n. 5. *Et permanebit cum sole, & ante Lunam in generatione, & generationem.* Et Psal. 109. n. 4. Psal. 88. n. 30. & 38. Psal. 9. num. 7. & 40. n. 8. Ezech. 37. n. 25. Daniel. 9. n. 26. Mich. 5. num. 2. Hæc tamen Scripturæ loca, ac alia loquuntur de regno Christi glorioso, post eius resurrectionem, ac ascensionem. Christum autem ante hoc regnum moriturum tota Scriptura clamat, ac protestatur. *Aperitè Isaias cap. 53. David Psal. 21. n. 12. & 17. Dan. 9. n. 26. Ierem. 11. n. 19.*

Luc. 18.

August.

Psal. 71.
Psal. 109.
Psal. 88.
Isai. 9.
Ezech. 37.
Daniel. 9.
Mich. 5.
Isai. 53.
Psal. 21.
Daniel. 9.
Ierem. 11.

114.

Oportet exaltari filium hominis. Christus non dixit, oportet exaltari, sed tantum. *Si exaltatus fuero à terra.* Vnde ergo turba deduxit verbum oportet? Maldonatus eorum sequitur coniecturam, qui asserunt, quod postquam Christus dixit hæc verba. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia trabam ad me ipsum,* addidit: *exaltari oportet filium hominis, sicut Moyses exaltauit serpentem.* Et hanc sententiam tradit Iansenius. Simpliciter tamen mihi dicendum videtur, turbam collegisse illud, oportet, ex verbis Christi. *Si exaltatus fuero à terra, omnia trabam ad me ipsum.* Inuoluitur ibi illa particula, oportet; ac si diceretur, oportet exaltari filium hominis, vt omnia trahat ad se, & hoc dicunt, vt magis oppugnent ipsum non esse Christum, cum non sit mansurus in æternum. Ita Theophylact. Barradas, P. Escobar. *Quis est iste filius hominis? Bene intelligebant, quod Christus de se loquebatur, nam multoties audierant eum se filium hominis dici, fingunt tamen se non intelligere, vt ipse clarius de sua exaltatione loqueretur, vt eum valeant arguere.*

Maldonat.

Iansen.

Theophyl.
Barrad.
Escobar.

115.

Dixit ergo eis Iesus. Non respondet Dominus ad eorum obiectiones, quia vt ait N. Cyrillus, eos indignos responso sciebat, ad fidem tamen simplicem turbam exhortatur. *Adhuc modicum lumen in vobis est.* Duplex est interpretatio. Omnes Latini modicum referunt ad lumen. Sic D. August. Beda, Rupertus, Lyranus, D. Thomas, ac si dicat Christus, parum luminis, ac intelligentiæ habetis, siquidem Messiam æternum esse creditis, & tamen non intelligitis in cruce esse exaltandum, ac moriendum iuxta Scripturas. Secunda interpretatio est Græcorum. Et modicum referunt ad tempus; vt si dicatur; modico tempore, breui tempore.

Syluestra in Euang. Tom. I V.

pore. Ita D. Chrysofomus, Theophylactus, Euthymius, & est sensus. *Adhuc modicum vobiscum sum: breui tempore vobiscum ero, paucis diebus, ego lux & lumen mundi vobiscum manebo.* Ambulate, id est, credite in me, dum lucem habetis, dum me lucem mundi præsentem habetis. *Vt nota vos tenebra errorum, ac peccatorum: Comprehendant, occupent, ac teneant.* Nam qui ambulat in tenebris peccatorum, nescit quò vadat, errat enim, ac præcipitatur; vt exponit Euthymius.

Chrysof.
Theophyl.
Euthym.

Euthym.

116.

Dum lucem habetis, me nempe præsentem, lucentem, ac docentem vos necessaria ad salutem. *credite.* In me lucem mundi, vt sermones meos audiat, ac præcepta adimpleatis: *Vt filij lucis sitis,* vt lucis meæ efficiamini participes, vt illuminati, lumine fidei, charitatis, ac gratiæ fulgeatis. Postquam hæc loquutus est Iesus, abiit, & abscondit se ab eis: quia præuidebat eorum cogitationes quod vellent eum capere ante præfinitum tempus à Patre, vt docent D. Chrysofomus, Theophylactus, & alij. D. Augustinus. ab eis. *Non ab eis, qui credere, & diligere cœperant; non ab eis, qui cum ramis palmarum, & laudibus obuiam venerant: sed ab eis, qui videbant, & inuidebant, quia nec videbant, sed in lapidem illum cacitate offendebant.*

Chrysof.
Theophyl.
August.



CAP. XLIII.

Parabola Vineæ.

Matth. 21. n. 33. Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & edificauit turrin, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est.

Num. 34. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius.

VERSIONES.

Syriacus n. 33. Fuit vir quidam dominus domus, qui plantauit vineam, & vnde quaque obuallauit eam maceria, & extruxit in ea turrin. Et sepem circumposuit ei.

D. Chrysof. homil. 69. Et tradidit eam agricolis.

Euthymius. Legauit seruos suos ad agricolas.

Arias n. 34. Legauit seruos suos ad agricolas.

Vatablus. Vt caperent fructus eius.

Syriacus. Vt ad se mitterent de fructibus vineæ suæ.